

## † R. P. Iosephus Wuest.

(Prov. Baltimor.).

Die 8 decembris septuagesimum professionis annum completurus, die 28 eiusdem mensis S. P. Alphonsi aetatem adepturus erat, cum die 14 novembris veteranus omnium Congregatorum natu maximus Domino vocanti oboediens Ilchestriae in domo nostra vita cessit.



P. Wuest Confluentibus ad Rhenum natus est die 22 februarii a. 1834, patre titulorum pictore, qui catholicae religionis cultor erat fidelissimus liberorumque educationi diligentissime invigilabat. Scholis primis absolutis, cum ab anno aetatis tertio decimo ad vicesimum studiis humanitatis operam daret, et magistrorum et sociorum existimationem optimam diligentia sua moribusque collegit.

Iam pueri animus Domini voce, qua Apostoli ad litus lacus Genesaretani vocati sunt, ut se sequerentur, allectum se sensit. Cui libenter obsecutus est. Patres Congregationis SS. Redemptoris cognoscendi occasio ei oblata est, cum a. 1849 Confluentibus missionem haberent. In contione enim quadam, cum oratorem sacrum Domini verba allegantem audivisset *Ecce Mater tua*, subito desiderio correptus est Congregationem ingrediendi. At tum, quamquam mox de vera vocatione divina sibi persuasit et Patres nostri eodem anno Confluentibus hospitium cum sede Vicarii generalis constituerunt, a proposito exsequendo longe abesse videbatur, cum ecce

aestate a. 1853 P. Bern. Hafkenscheid, qui primus provinciae Americanae superior praeyerat, Confluentes venit, ut Vicario generali Rud. Smetana de laboribus apostolicis Americanis referret. Iosephus ab amico, qui Patri Bernardo ad missam serviebat, edoctus, qui esset, eum adiit suumque propositum in Congregationem intrandi aperuit. Sciscitanti, num etiam Americam petere vellet, paratum se esse respondit. Provinciali adulescens tantopere placuit, ut patri eius se paulo post cum filio invisenti et assentienti responderet: « Qui antea tuus erat filius Iosephus, nunc iam meus est ». Iosephus autem rebus omnibus quam primum expeditis die 9 septembribus a. 1853 noviciatum Trudonopoli in Belgio ingressus est.

Noviciatum Congregationis veste accepta die 15 octobris incepit magistro celeberrimo P. Antonio Konings, qui etiam ipse a. 1870 in Americam migravit et ibi, cum in studentatu nostro theologiam moralem doceret, eius epitomen egregiam conscripsit. Sed Trudonopoli F. Wuest noviciatum ad finem perducere non potuit. Trudonopoli post sex menses in noviciatum Gallicum S. Nicolai a Portu migravit, unde tandem duabus mensibus post die 15 augusti a. 1854 cum duobus sociis in Americam profectus est. Ibi in collegio Annapolitano magistro P. Gabriele Rumpler noviciatum confecit et eodem die 8 decembris, quo Romae a Pio IX doctrina de Immaculata B. M. V. Conceptione declarata est dogma catholicum, vota religiosa nuncupavit. Studiis deinde philosophicis ac theologicis in domo studentatus Cumberlandensi vacavit et, cum die 24 septembribus sacerdotio actus esset, anno sequenti Philadelphiae alterum noviciatum egit.

Primos in animis hominum curandis labores P. Wuest per annum fere unum Philadelphiae exercere coepit. At cum voce esset debili, qua magnis contionibus, praesertim in missionibus, habendis par esse non videretur, mox ad officia potius domestica in Congregatione praestanda transiit. Cum vero homo esset ingenio haud parvo praeditus Congregationisque amantissimus, assiduo labore suo multa effecit, quorum memoria obliterari numquam poterit, quia eorum monumenta exstant aere perenniora.

Ac primum quidem a. 1861 Annapolim missus est, ubi noviciarum magistrum socius adiuvaret simulque clericos provectiores philosophiam et theologiam, iuniores algebram ac linguam graecam doceret. Cum anno sequenti eisdem muneribus praefectus Cumberlandiam transiisset, simul in loca vicina exibat, ut incolarum animabus succurreret. Bello tum civili terra ardebat. Gens pauper omnibusque auxiliis orba erat, mercatura iacebat, rebus infestis animi erecti erant, cum utrique belligerantes (*Unionistae* uni, alteri *Confoederati* vocabantur) in regionis possessionem venire contenderent. Moribus suis liberalibus et agendi ratione suorum commodorum immemore P. Wuest egentium animos sibi conciliavit. Quamquam non defuisse, qui sacerdotem aspernantes molestias exhiberent, qui est qui

miretur? Ita usque ad annum 1866 P. Wuest Cumberlandiae mansit, quo cum illa domus ad Patres Carmelitanos transiisset, Annapoli aliquamdiu laboravit, donec a. 1868 a Superiore provinciae P. Helmpraecht novae rei moliendae onus suscipere iussus est.

Iam a multis annis pueri, qui et moribus et indole apti voluntateque proclives videbantur ad Congregationis nostrae vocationem sequendam, per varias domos dispersi erudiebantur, donec anno aetatis sexto decimo expleto in noviciatum recipi possent. Quae res cum difficultatibus incommodisque multis obnoxia esset, anno 1867 P. Helmpraecht Baltimorae ad collegium S. Alphonsi pueros collegit, ubi praefecto sibi P. Ioanne Nep. Berger, nepote ex sorore Ven. S. D. Ioann. Nep. Neumann, in studia praeципue linguae latinae incumberent. Ad moderandam hanc *Academiam S. Alphonsi* (ita enim vocabatur) mense iulio anni sequentis 1868 P. Wuest vocatus est.

Si quis iuvenatus variarum provinciarum, ac praesertim magnificos illos Americanos in Northeast et Windsor Springs, novit, vix animo concipere potest, quam exilia et difficilia huius instituti tam salutaris initia fuerint. P. Wuest, qua erat constantia ac sollertia, tria praecepit oculis habuit, ut scilicet locus aptus instituto pararetur, ut magistri idonei ad iuvenatum arcesserentur, ut iuvenatus et erudiendis et educandis pueris destinatus optimis legibus temperaretur.

In collegio S. Alphonsi spatium angustius erat, quam quod maiori numero alumnorum excipiendo sufficeret. Initio vix plus duodecim pueri admitti potuerunt. P. Wuest igitur, cum videret alumnorum numerum omnino augendum esse, ut provinciae necessitatibus subveniretur, aliam aptiorem ac praesertim ampliorem sedem quaerere coepit. P. Anwander, qui tum domum S. Iacobi Baltimorae regebat et consultoris provincialis munere fungebatur, rogante P. Wuest et Provinciali probante in schola parochiali ad S. Iacobum spatium amplius paravit, quo P. Wuest die 29 aprilis a. 1869 cum alumnis suis migravit. Puerorum numerus ad 48 crevit. Initio autem anni scholastici 1871-1872 iuvenes studiosi litterarum, qui ingredi cuperent, 80 erant. Ut itaque maiori etiam numero satis fieri posset, P. Provincialis Helmpraecht Ilchestriae ad collis radices seminarium quoddam minus exstruere statuit, quo 120 alumni excipi possent. Die 5 octobris a. 1872 in sacello novae domus prima missa sollemni cantata novus scholarum annus cum alumnis 114 inchoatus est.

In interna scholae formatione P. Wuest id praesertim egit, ut alumni non tantum linguae latinae aliqua cognitione instituerentur, sed omnes etiam disciplinas ediscerent, quae ad cultus humanioris eruditionem pertinerent, ut est linguae vernaculae (anglicae et germanicae) usus commodus, scientia mathematica, historia rerum gestarum etc. Adiuvante iterum carissimo suo P. Anwander perfecit, ut iam anno 1870 a Superiore provin-

ciae constitueretur, ne quis adulescens in noviciatum admitteretur nisi toto studiorum humanitatis cursu rite completo. Magnarum vero difficultatum fons erat selectio magistrorum, qui alumnos nostros docerent. Variis enim e causis initio non Patres nostri pueros illos instituebant, sed homines laici a superioribus pretio conducti, e quibus nonnemo sive litterarum scientia sive moribus ad munus hoc exercendum haud idoneus repertus est, unde moderatori praesertim iuvenatus taedia non parva orta sunt.

Anno denique 1873 P. Wuest iuvenatum in alias manus tradere potuit. Multa sane postea mutata, multa in melius perfectiusque in novis praesertim sedibus refecta sunt, sed oblivioni tradi non licet magni illius operis, quod nunc exstat, fundamenta curis sudoribusque P. Wuest posita esse.

Mense iunio a. 1873 P. Wuest munere moderatoris in iuvenatu liberatus ac primum per duos annos in studiorum domo Ilchestriana ministri munere functus est, ab anno 1875 ad 1877 ad S. Michaelem Baltimorae in ministerio animarum laboravit. Ab anno 1877 ad 1892 provinciae procuratorem summa cum laude egit et inde ab anno 1883 simul typographiae, quae a superioribus Ilchestriae instituta erat, moderamen suscepit. Decennio, quod erat inter annum 1904 et 1914 partim Saratogae partim Baltimorae ad S. Iacobum transacto tandem a. 1904 Ilchestriam revertit, ubi laboribus suis praecipue litterarii operam dans usque ad extreum fere halitum scribere non destitit.

Opera enim potissima Patris Wuest in re litteraria versabatur. Sed quidquid hac in re perfecit, id omne ex eius in Congregatione muneribus originem duxit.

Ac primum quidem, cum Baltimoram vocatus moderandis pueris occuparetur, superiorum iussu simul Ordinem divinorum officiorum recitandorum missaeque celebrandae componendum in se suscepit. Quo ex officio *Collectio rerum liturgicarum* orta est, qui libellus cum anno 1889 primum prodiisset, iterum atque iterum retractatus a. 1921 quartis typis mandatus est et nunc in linguam anglicam traducitur iterum evulgandus.

Vitae internae spiritualisque amantissimus P. Wuest a. 1890 noviciorum laicorum magister in domo Ilchestriana constitutus est. Quo in munere in noviciorum suorum profectum vigilem curam impendens simul duobus libris asceticis conscriptis operae suae ambitum dilatavit. Anno quidem 1893 enchiridium quoddam cum peculiari Rñi P. Generalis Mauron approbatione typis mandavit, quo candidati fratresque ipsi laici de vitae in Congregatione agendae ratione edocerentur (*Handbüchlein für angehende Laienbrüder der Kongregation des allerh. Erlösers*). Tribus annis post liber exercitorum spiritualium in usum religiosorum, qui non essent sacerdotes, praesertim vero fratrum nostrorum aptatus prodiit (*Geistliche Uebungen für Ordensleute, die nicht Priester sind... Ilchester, 1896*).

Maximum autem Patris Wuest opus e chronistae provincialis munere ortum est, quod etiam anno 1868 ei impositum erat. Novus chronista, quae erat in eo diligentia et sollertia, non solum notitias annuas accuratissime colligere coepit, sed etiam ea, quae in America a primis domorum nostrarum initiis gesta erant, conscribere et ad latiorem Congregatorum etiam extra Americam degentium usum evulganda praeparare. Ut autem ipsos Annales paevertamus, anno 1893 *Compendium laborum apostolicorum*, qui per quinquaginta annos ab a. 1840 ad 1890 in America septentrionali peracti erant, a P. Iacobo Keitz incohatum perfecit ac typis Ilchesterianis edidit. Ipse interea iam anno 1888 primum volumen *Annalium Congregationis SS. Redemptoris provinciae Americanae*, quo tempus ab anno 1832 ad 1849 completebatur, evulgavit. Singulis annis, quidquid in rebus provinciae domorumque singularum gestum est, breviter, sed diligenter describitur, additis ipsis litteris ac documentis, quibus res illustrarentur. Hi annales non in usum publicum omnium conscripti typisque impressi sunt, sed in usum tantum Congregatorum nostrorum, eisque pretiosae rerum memorabilium notitiae apud nos servantur. Annalium cura ac labore P. Wuest deinde usque ad vitae finem occupabatur. Quinque voluminibus, quorum quartum bipartitum, quintum tripartitum est, res in America gestas usque ad finem anni 1875 perduxit. Voluminis quinti pars tertia ipso obitus eius anno 1924 in lucem prodit.

Quid P. Wuest hoc Annalium opere praestiterit, nostri omnes facile perspicere poterunt, cum ubique fere in domibus nostris inveniatur.

Inter hos labores continuos P. Wuest senuerat. Quo die 8 decembris a. 1904 in universa ecclesia catholica sollemnia semisaecularia a definita de Immaculata Conceptione B. M. V. doctrina celebrabantur, eodem P. Wuest tota plaudente Congregatione Americana pro gratiis per quinquaginta annos a facta professione religiosa acceptis gratias egit et quinque annis post die 24 septembris a. 1909 quinquagesimum sacerdotii annum egit. Sed Deus O. M. vitam eius produxit, ut etiam sexagesimum et professionis et sacerdotii annum laetus ipse inter fratrum gaudia videret. Et iam Summus Pontifex Pius XI rogante Rño P. Generali benedictionem apostolicam indulgentiamque plenariam seni veterano impertiverat, qui die 8 decembris septuagesimum professionis diem anniversarium celebratus erat, cum ecce nuntius inopinatus Romam venit P. Wuest die 14 novembris 1924 a Domino vocatum esse, ut vitae piae et in Congregatione absconditae, at laboriosae mercedem aeternam acciperet.

In summa etiam senectute plus nonaginta annorum P. Wuest quotidie magna cum devotione s. sacrificium offerre potuit, paucis tantum ante mortem mensibus exceptis. Inter praecipuas eius virtutes caritas fraterna enituit, qua erga iuuentutem imprimis nostram ferebatur. Ita factum est, ut omnibus carus esset omnesque assentirentur, cum sodalis quidam car-

mine festivo ad unum e iubilaeis eius composito eum *gemma occultam* praedicavisset. Peculiari erga Beatam Virginem pietate ornatus erat. Gaudio gestiens gloriari solitus est se sabbato natum, in ecclesia B. M. V. sine macula conceptae baptizatum, die huius mysterii definitione sacro vota professum, ac die eiusdem Beatae Virginis sacro (*de Mercede*) sacerdotio initiatum esse. In cubiculo suo sub grandi eius imagine sua manu illud Domini descriptum habuit: *Ecce Mater tua.* Cuius opem in omnibus vitae necessitatibus praesentem se esse expertum saepe testatus est.

Corpus P. Wuest mortuum die 18 novembris magna Congregatorum sacerdotumque amicorum caterva elatum in campo sacro collegii nostri Ilchesteriani resurrectionem exspectat. R. i. p.!